

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

genii, in visere vos istic & inde Heidelbergenses instituit. Cupio eum T. d. commendatum, quo alatur conjunctio, & mitigetur quorundam ferocia. D. D. Jacobus Andrea, hâc transit Montpelgardum, ubi diebus aliquot ob negocia Ecclesiastica hæsurus est. Ad vos autem illinc se conferet, ut si fieri queat, tibi comes sit Isnam profecturo, tecumque de rebus multis familiariter commentetur. Quo nomine ejus mihi adventus & conspectus exoptatior fuit, quod nihil dubitem, ejus præsentiam plurimum habituram momenti, priusquam M. Piscator Tubingam sese recipiat. Quod filios attinet tuos, recte habent hæcenus omnia. Profitetur jam M. Philippus 45. Psalmum, M. Erasmus 4. Physicorum, uterque fideliter & luculenter. De Affectu Philippi, quo ad maxillam, consultum videtur, ut Medicorum sententiam habeamus, saltem præcipuorum aliquot, quam ubi acceperimus, ad T. d. perferribam, quo de eadem cum præstantiss. Viris D. D. Andernaco & Sebaldo deliberare queas. Non est certe contemnendus, ne neglectis principiis abeat in incurabilem morbum, & præclarum ingenium corporis debilitate impediatur. In canicula tentari nihil potest utiliter; quare nisi secus tibi videatur, medicorum cognoscemus consilia, quæ ad te deinde perscripta transmittamus, rogaturi interea Dominum, ut quam ostendit nobis præclaram spem, ratam ut esse velit, & firmam sanitatem, cum mente, quam sanam dedit, largiri dignetur. Bene vale in Christo JESU, ut reverende & chariss. frater, unâ cum uxore, symmiffis fratribus & D. D. Scholarchis, quos cupio salvos jubeas meis verbis amanter & reverenter. Basil. 23. Julii, Anno 1571.

T. d. s.

Sulcerus totus.

LIX.

Salutem in Domino & Servatore Jesu.

TRistes accepi tuas, Reverende frater, literas, de nova vestrarum Ecclesiarum perturbatione, quæ mihi quoque, meisque Collegis acerba est. Dolemus vicem Ecclesiæ, gemitus piorum, jubila hostium, scandala pusillorum legemus; etiam irascimur *ἡσυχίας καὶ ἡσυχίας ἔχοντες*, & modestas admonitiones locum non invenire molestè ferimus. Sed hæc Ecclesiæ senescentis fors est, cujus brevi Filius DEI miserebitur, Amen

Mea autem de hoc certamine hæc est sententia: ut existimem, neque substantiæ, neque Accidentis vocabulum ad hanc tractationem rectè adhiberi. Tametsi enim Dialectica instrumentum est commune, ad omnium scientiarum tractationem accommodatum, tamen Instrumentum maneat, neque Lesbiæ regu-

regulæ instar sacra sibi bracula applicet, sed se, cum potest, ad illa attemperet, cum non potest, in sua se Academia contineat, neque in Theologorum adyta irrumpat. Esse autem hoc loco ineptam illam rerum omnium in id, quod est, & quod accidit, divisionem, utriusque Propositionis absurditas demonstrat.

Nam cum substantiam appellas originis peccatum, vel ridiculam admittis ἀδολογίαν, vel blasphemum producis dogma. Cum enim duplex sit cujuscunque rei consideratio, quarum una cum subjecto, in quo inest, concreta existit, altera ab eodem abstrahitur, neutra hoc loco potest usurpari. Si enim de Concreto Originis Peccato, h. e. corrupta nostra post lapsum Natura loqueris, ut facit Dn. Illyricus, ecquid attinet de ipsa Natura, substantia sit, necne, contrvertere? Sin abstractum aliquod ab ipsa Natura peccatum imaginaberis, idque substantiam dices esse, quomodo à Manichæismo, & cæteris Jhenensium criminationibus te vindicabis? Hæc una, crede mihi, Venerande frater, illis causa est, ob quam tanto fervore in hanc phrasin, ejusque assertorem Dn. Illyricum invehantur. Vident prioris considerationis ἀδολογίαν, erudito homine indignam, itaque ad alteram oppugnandam tantum non necessario descendunt. Ad hæc duo vitia tertium accedit, quod ut nova est atque inusitata Scripturæ, Patribus, Ecclesiæ omnium temporum hæc locutio: (Nam quæ Scriptura habet, & ex aliorum liberis adferuntur ἰστορίαι vocabula, ea non de Peccato, sed de Natura Peccato corrupta prædicantur) ita multorum animos, ab ipsa etiam sententia, quam veram defendit Dn. Illyricus, alienos facit. Quæ omnia cum magna sint, hoc est vel nugari in gravissima controversia, vel si id non fiat, non modo ipsam Quæstionis constitutionem mutare, sed suæ etiam intentioni contraria dicere, novisque verbis, adversariis calumniandi, pusillis errandi occasionem præbere: quæ omnia in hac Phrasi inesse tum ex iis, quæ dixi, apparet, tum vestra probat experientia: hæc igitur cum magna sint, & in hac Phrasi insint, certè omittenda & relinquenda.

Dixi de substantia, quæ mea esset sententia: nunc simili candorè de Accidente loquar, à quo non minus, imò magis etiam abhorreo. Accessit ad Naturam creatam & integram Peccatum, fateor. In die Restitutionis omnium, eadem Natura numero, à Peccato, quo est corrupta, plenè separabitur; fateor id quoque. Ergo accidens simpliciter concedam? Minimè. Nam & totam ejus Naturam, cui primum accidit, in se suamque imaginem pervertendo corruptit, & nos non integri nascimur, ut eodem modo deinceps Peccatum accedat. Sed in peccato concipimur & nascimur; quod autem ex carne, caro id ipsum quoque est. Deinde non nostrarum virium aut Naturæ opus est illa vel Regeneratio, vel perfecta denique restitutio, quod hæc altera loquendi formula, peccatum originis est accidens separabile, præ se fert: sed nova opus est creatione, nova generatione, cujus authores neque nos sumus nobis ipsis, neque

alii aliis homines. Necessè ergo erit, ut hanc vel omittant *hinc*, vel non liberam modo naturam intelligenti, sese à damnatione explicandi, & ad gratiam applicandi facultatem concedant, sed aliquid propmodum majus largiantur, quòd cum se facturos negent, ut debent omninò negare, una suam damnant phrasin, non minus quam ipse Illyricus, suæ sententiæ contrariis verbis utentes. Sed tu ipse, quæ ex hoc accidente præterea concludendo efficiantur, vides.

Quid ergo, inquires, Peccatum originis affirmas esse, si neque substantiam, neque accidens id appellas? Initio dixi, me hoc loco Philosophorum distinctionem ut ineptam rejicere. Est autem inepta, tum propter causas explicatas, tum quia frustra ab iis, qui hanc corruptionem ignorarunt, ejus rei declarationem petimus. Loquor autem ego de Peccato originis more Scripturæ ita: ut hoc nomine neque substantiam aliquam extra nos, neque in nobis accidens quoddam, sed ipsam hominum post lapsum Naturam, sicut prima Nativitate in hanc lucem eduntur, *in lux in dicitur arguuntur*, ut Paulus eam nominat, peccati aculem atque damnum. Hoc etiam volunt Lutheri phrasas, cum dicit peccatum personæ, Naturæ, Essentiæ, non ipsam personam, naturam, essentiamve, ne creationem, Deumque authorem videatur inculcare, & tamen ut appareat, ipsam naturam nostram, & cor pravum causam efficientem esse omnium scelerum & actualium peccatorum. Hanc spero satis dilucidam esse rei ipsius expositionem, nullis neque Dialecticorum argutiis, nec falsorum dogmatum suspitionibus criminationibusque obnoxiam. In qua si acquiesceremus, sublatis his infaultis & Cadmæis pugnis, & nobis Lutheri tam esset Sacrosanctæ authoritas, quam est crebrum in ore nomen, fortasse melius nobiscum & cum Ecclesia ageretur. Nunc quasi nullibi fortitudinem nostram possemus exere, quasi nulli essent hostes: ita in nostram et sævimus viscera: immemores commonefactionis Paulinæ, si mordetis invicem, videte ne consumamini: & sententiæ DOMINI, omne regnum in se divisum desolabitur. Opto vobis omnibus, vestrisque Ecclesiis solidam in Christo, unico Salomone nostro, pacem & pium consensum ex animo.

Balthasar tuus priore loco & conditione erit: Nam pro hoc quidem tempore, ut nuper tibi scripseram, nulla est altius ipsum provehendi occasio. Si ipse sibi diligentia & pietate non defuerit, sentiet tuam commendationem magnum apud nos habuisse pondus. Vale in DOMINO, Reverende mi frater. Argentorato, 23. Julii, anno 1571.

Inscriptio.

*Reverendo viro, pietate, doctrina & virtute præstanti, M. Christophoro
Irenao, Exuli Jhesu Christi, Domino, amico & fratri colendo.*

LXX.